

puniri. Canon XVII. prohibet Clericis, & Monachis, ne nova inchoent Oratoria, aut Monasteria, nisi sumptus necessarios habeant ad illa perficienda. Canon XVIII. foeminas in Aedibus Episcoporum, vel virorum Monasteriis versari vetat, ut omnis pravæ suspicionis tollatur occasio. Canon XIX. Simoniam Episcoporum, Abbatum, & Abbatissarum avaritiam castigat, munus aliquod, ac pretium ab his exigentium, qui ad Sacerdotalem ordinem promoventur, vel ad vitam Monasticam accedunt. Canon XX. duplicia Monasteria, Monachorum & Sanctimonialium fieri vetat, iis tamen exceptis Monasteriis, quæ sub Sancti Basilii Regula militant, quia eorum structura & disciplina nullis pravis suspicionibus locum præbet. Canon XXI. Monachis & Monialibus propriis relictis Monasteriis, ad alia se transferre prohibet. Canon XXII. commendat in Christianorum convivii modestiam, & ab illis arceri jubet eos, qui lyris, & cytharis, aliisque instrumentis musicis, & meretriciis cantionibus animas emolliunt; Clericos vero ac Monachos cum mulieribus etiam cognatis secreto manducare non sinit. Hi sunt viginti duo Canones, quos in rem disciplinæ Ecclesiasticæ condidit septima Synodus generalis, quæ dicitur Nicæna secunda, quorum explicatio legi potest apud *Christianum Lupum* in Scholiis & Notis ad septimam Synodum.

D. Circa Concilium Francofordiense, quod celebratum est anno dccxciv. tria me hæcenus docuisti, quæ memoria complector, videlicet, in eo damnatam fuisse Hæresim *Felicis Urgellitani* Episcopi, & *Elipandi* Antistitis Toletani, qui assererent, Christum esse filium Dei adoptivum, deinde, actum esse in eodem Concilio de cultu Imaginum, ac denique, Patres istius Concilii Francofordienses non discrepasse a Synodo Nicæna secunda quantum ad dogma fidei, de cultu scilicet, qui Sanctis Imaginibus debetur, sed tantum quoad disciplinam, seu modum colendi Imagines a Synodo Nicæna secunda proscriptum. Superest nunc, ut sciam numerum Episcoporum, qui huic Concilio Francofordiensi interfuerunt, & quot Canones in ipso editi fuerint.

M. Concilium Francofordiense coram *Carolo Magno*, præsentibus *Theophylacto*, & *Stephano* Legatis *Hadriani* Summi Pontificis, anno, quem indicasti, dccxciv. in Festo Paschatis a trecentis circiter Episcopis ex Germania, Gallia, & Italia habitum est. In eo conditi sunt quinquaginta sex Canones, ad mores præcipue & disciplinam Ecclesiæ spectantes, quos primus, post Baronii mortem, publicavit doctissimus *Sirmondus*. Antea enim duo tantum prodierant Canones, quorum primus damnat *Felicem*, & *Elipandum* Episcopos, qui in Christo Dei Filio adoptionem adsererent. Secundus Canon Concilii Francofordienses est de adoratione Imaginum, quem supra retulimus. Alii ad morum & disciplinæ reformationem pertinent. Extant nunc quinquaginta sex illi Canones Concilii Francofordienses tomo VII. Conciliorum. Consulendus etiam est *Carolus Cointius* tomo VII. Annalium

Ecclesiæ Francorum, ubi de hoc Concilio Francofordiensi, de Epistolis in causa *Feliciana* scriptis, & de lvi. Canonibus in eo editis, erudite disserit.

D. Numquid alia ad proscribendas *Iconoclastarum*, atque *Felicis*, & *Elipandi* Hæreses octavo Ecclesiæ sæculo celebrata sunt Concilia?

M. *Iconoclastarum*, necnon *Felicis*, & *Elipandi* Hæreses octavo Ecclesiæ sæculo confixæ sunt in aliis particularibus Synodis, quarum, cum in præcedenti Colloquio mentionem fecerim, superfluum omnino esset eas recensere, & crambem recoctam obtrudere. Solum hic obiter observabo; regnante in Galliis *Pipino*, Synodum apud *Gentiliacum*, quod vix una leuca Parisiis distat, habitam fuisse anno dccclxvii. in qua, teste *Adone* in Chronico, duæ propositæ sunt quæstiones, quarum prima hæc erat: *Utrum videlicet fingenda ac pingenda essent Sanctorum Imagines in Templis?* Altera: *Utrum Spiritus Sanctus, sicut procedit a Patre, ita procedat a Filio?* Hujus quæstionis de processione Spiritus Sancti a Filio in hoc Concilio Gentiliaco excitata hanc causam assignant viri eruditi. Tum temporis Occidentales, seu Latini appellabant Græcos Hæreticos ob Hæresim *Iconoclastarum*, qua erant infecti; Græci vero, ut clavum clavo truderent, Occidentales, seu Latinos, vocabant Hæreticos, eo quod Latini Spiritum Sanctum a Patre, Filioque procedere assererent. Hinc *Pipinus* Rex Synodum Gentiliacensem convocandam duxit, ut Episcoporum judicio utraque dirimeretur quæstio. Non est dubium, quin in hac Gentiliacensi Synodo errores Græcorum improbatim ac proscripti fuerint, licet hujusce Synodi nihil ad nos, invidente fato, pervenerit.

D. Quotnam Concilia Nationalia octavo sæculo ad collapsam Ecclesiæ restaurandam disciplinam fuere in occidente convocata?

M. In Hispaniis octavo Ecclesiæ sæculo unicum dumtaxat Concilium Toletanum, seu decimum octavum, regnante *Witiza* anno dcccl. fuit celebratum, cujus tamen acta ad nostra usque tempora conservari non meruerunt, quia plura in hoc Concilio Capita Ecclesiasticæ disciplinæ contraria sancita sunt. Hoc fuit ultimum omnium Conciliorum Toleti celebratorum, immo, hoc excepto Concilio Toletano decimo octavo, nullas Synodos per integrum octavum sæculum in Hispaniis habitas fuisse observat eruditus Cardinalis *de Aguirre* Tomo III. Concil. Hispaniæ, ad quem defectum quadantenus resarciendum, quamplurima idem doctissimus Cardinalis venerandæ vetustatis monumenta vel hæcenus inedita, vel quæ non ubique occurrunt, in eodem tomo publici juris fecit. Alia Concilia Nationalia, quæ octavo sæculo ad reintegrandam Ecclesiæ labefactam disciplinam, breviter hic juxta ordinem Chronologicum indicabo.

Anno dccclxi. xi. Kal. Maji Concilium Germanicum I. loco incerto celebratum est, Præsidente *S. Bonifacio* Archiepiscopo, & Germaniæ Apostolo. In eo restituendam Ecclesiæ disciplinam, quæ sub *Carolo Martello* Majore Domus

Re-

Regiæ multas in Galliis, & in Germania clades passa fuerat, conditi sunt Canones XIX. in quibus multa statuuntur de Episcopis per Civitates ordinandis, de Synodis per singulos annos celebrandis, de antiquis Canonibus restaurandis, de Presbyteris adulteris, & Clericis in fornicationem lapsis, & de aliis id genus Ecclesiasticæ disciplinæ Capitibus. Hos novendecim Canones eruditus illustravit *Notis Clarissimus Carolus Cointius* tomo V. Annalium Ecclesiæ Francorum ad annum dccclxiii. ad quam refert celebrationem hujusce Concilii.

Anno dccclxiii. habitum est *Liptinense* Concilium prope Cameracum sub *Carolo Magno* Majore Domus Regiæ congregatum Kal. Martii a *S. Bonifacio* Archiepiscopo. In eo duæ Hæretici *Adalbertus* Gallus, & *Clemens* Scotus damnati sunt, gesta in Synodo Germanica confirmata, de variis rebus Ecclesiasticis & Monasticis consultum, conditque quatuor Canones, qui extant cum *Notis Labbei*, *Sirmondi*, & *Bini* tomo IV. Concil. Eisdem etiam Canones *Notis* suis elucidavit *Carolus Cointius* tomo V. Annal. Ecclesiæ Francorum ad annum dccclxiv. ad quem rejicit istius Concilii convocationem (a).

„ (a) Præter quatuor illos Canones ex Concilio Liptinensi excusos in vulgatis collectionibus Conciliorum, alios geminos ego dedi in meo Conciliorum supplemento acceptos ex *Fulberti Carnotensis* Epistola XXXIII. ad *Leuticum*, quorum primus fert si ex conjugibus alter alterius filium in confirmatione tenuerit, invicem separentur. Secundus vero mandat ne quis ducat in uxorem illam cujus filium in Baptismo tenuerit.

Anno dcccliv. indictum est Concilium *Suessionense* in Galliis, cujus extant de disciplina Ecclesiastica Canones X. quorum primo statuitur, Fidem Nicænam & antiquos Canones promulgandos & observandos esse. Decem istius Concilii Canones cum *Notis Sirmondi* extant tomo IV. Concil. & ad eos elucidandos plura adducit *Carolus Cointius* tomo V. Annal. Eccl. Francorum, ad annum dccclv. quo anno istam Synodum celebratam esse opinatur.

Anno dccclv. a *S. Bonifacio* Summi Pontificis Legato, congregatum est Conc. Germanicum II. in quo damnatis *Adalberto*, & *Clemente* hæreticis, necnon *Gervillone* Episcopo Moguntino, ob homicidii, quod commiserat, scelus, Episcopali Sede deposito, *S. Bonifacius*, qui Archiepiscopatum Regionarium per totam Germaniam, nulla certa assignata Sede hæcenus exercuerat, primus Moguntinus Archiepiscopus inauguratus est. Extant Acta Synodalia tomo VI. Concil.

Anno dccclvii. celebratum est Concilium *Vermariense* in Diocesi *Suessionensi* in Galliis in Palatio Regio, præsentibus *Pipino* Galliarum Rege; in quo de incestu, Fornicatione, & Adulterio præcipue actum est. Extant Canones XXI. ab hoc Concilio editi cum *Notis Sirmondi* tomo VI. Conc. *Carolus* etiam *Cointius* eisdem Canones *Notis* suis illustravit, tomo V. Annal. Eccl. Francorum.

Anno dccclv. coactum est Concilium *Vernense* in Galliis ad *Sequanam* fluvium in Palatio *Pipini* Galliarum Regis, in quo conditi sunt Canones viginti quinque disciplinæ Ecclesiasticæ apprime utiles, qui cum *Notis Sirmondi* tomo VI. Concil. & a *Carolo Cointio* *Notis* itidem explicantur tomo V. Annalium Eccl. Francorum.

Anno dccclvi. habitum est Concilium *Compendiense* in Galliis, in quo confecti sunt duodeviginti Canones, qui omnes ferme spectant matrimonium, videlicet gradus consanguinitatis, Fornicationem, &c. extant hi Canones cum *Notis Sirmondi* tomo VI. Concil. & apud *Carolus Cointius* tomo V. Annalium Eccl. Francorum, ubi eos *Notis* suis explanavit.

Anno dccclxxxix. indictum est sub *Carolo Magno* Imperatore, Concilium *Aquisgranense* I. cujus de disciplina, & de bono Ecclesiæ Regimine Capitula LXXXII. extant sub titulo *Capitularis Aquisgranensis* tomo VII. Concil.

Anno dccxc. congregatum est, sicut luculenter ostendit *Clarissimus Cointius*, Concilium *Narbonense* in Galliis, in quo limites Sedis *Narbonensis* constituti sunt. Hujus Synodi Acta extant tomo VI. Concil. & apud *Carolus Cointius* tomo VI. Annalium Eccl. Francorum, ubi de lite in hac Synodo agitata, deque singulis subscriptionibus Episcoporum pluribus agit.

Anno dccxcv. ut asseruit *Cointius*, an. dccxcvi. sicut videtur *Pagio*, celebratum est a *Paulino* Patriarcha *Aquilejensi* Concilium *Forojulienense* in *Ditione Veneta*, in quo actum est adversus eos, qui variis impliciti erroribus, de *Mysterio Sanctissimæ Trinitatis*, ac præsertim de processione Spiritus Sancti non recte sentiebant. Actum est etiam adversus eos, qui in duos videntur Filios, unum Christum Dei filium dividere, dum illum naturalem, & adoptivum affirmare moliantur, inquit *Paulinus* in sua Oratione ad *Comprovinciales* Episcopos. Quibus verbis ostendit *Paulinus*, istud Concilium *Forojulienense* congregatum non fuisse adversus *Felicem Urgellitanum*, ut pervulgata fert opinio, sed generatim adversus *Ebionitas*, *Nestorianos*, aliosque id genus hæreticos, in sacrum Incarnationis Mysterium insurgentes. Conditi sunt in hocce Concilio *Forojulienensi* Canones quatuordecim, qui omnes ad disciplinam Ecclesiasticam spectant, hique legi possunt apud nostrum *Natalem Alexandrum* sæculo Ecclesiæ octavo, & apud *Carolus Cointius* tomo VI. Annalium Ecclesiæ Francorum, ad annum dccxcv.

„ (a) Hujus *Forojulienensis* Concilii Synodici, cam ego in nova Conciliorum editione quæ Venetiis per hos annos producit, esse demonstravi epistolam, quam alii *Altinenfi* Concilio adscribunt decepti ex depravata ejusdem Synodice lectione a *Baluzio* evulgata. Quo enim loco vera lectio vaticani codicis, a me consulti, fert: *hac, cui Deo auctore deservio, Sede concilium habitum alii fuisse sub nomine Regis &c.* *Baluzius* in suo codice maxime vitiato, ut ex

D 4

„ totius

„ totius epistolæ serie satis constat, pro *alii* legit
 „ *altini*; atque ita ex vitata lectione concilium
 „ novum inturrexit, de quo in vetustis codicibus
 „ nihil.

Anno dcccvii. habitum est Concilium *Aquis-*
granense II. regnante Carolo Magno. Extat *Ca-*
pitular: de rebus Regni, & Ecclesiæ in hoc Con-
 cilio editum, complectens undecim Capitula, to-
 mo VII. Conciliorum.

D. Percensuistis omnia Concilia, quæ in Oc-
 cidente octavo sæculo habita sunt, & in quibus
 restaurata est Ecclesiæ disciplina?

M. His Conciliis, quæ hætenus percensui, duo
 alia addi possunt, quorum unum, videlicet *Clo-*
veshovienſe anno dcccxlvi. in Anglia celebratum
 est a *Cuthberto* Cantuariensi Episcopo, regnante
Æthelbaldo Merciorum Rege: in hoc Concilio de
 unitate Ecclesiæ, de statu Christianæ Religionis,
 de pace, & concordia promovendis actum est,
 conditque sunt triginta Canones, qui legi pos-
 sunt tomo VI. Concil. & apud nostrum *Natalem*
Alexandrum octavo sæculo. (a) Alterum Con-
 ciliū est *Digloviense* in Bajoaria, seu Bavaria
 anno dcccxxi. *Thassillonis* Bajoariorum Ducis
 cura, & consilio congregatum, in quo ad-
 morum, & disciplinæ reformationem, necnon
 ad publici Regiminis conservationem, edita sunt
 Capitula XIII. quæ Notis illustrantur a *Cy-*
rolo Cointio Tom. v. Annal. Eccl. Francorum.
 Sed de Conciliis tam Generalibus, quam Natio-
 nalibus, quæ sæculis septimo, & octavo fuerunt
 celebrata, hæc molli brachio attingisse, sat, super-
 que sufficiat.

„ (a) Concilii hujus subscriptiones, num-
 „ quam antehac editas, ex MS. Codice Angli-
 „ cano evulgavit David Wilkins in novissima
 „ Britannicorum Conciliorum editione.

COLLOQUIUM V.

De Scriptoribus Ecclesiasticis, qui secula septimum,
 & octavum doctrina, & pietate
 illustrarunt.

D. AD perfectam, absolutamque Historiæ Ec-
 clesiasticæ notitiam nemo, ut sapius a
 te audi, attingere potest, nisi accurate Opera
 Scriptorum Ecclesiasticorum dignoscat, genuina
 ab adulterinis, juxta certas Disciplinæ Criticæ
 regulas, discernere sciat, notumque præfigere tem-
 pus, quo Viri illi doctrina, & pietate illustres
 in Ecclesia floruerunt. Quapropter, te nunc de
 Scriptoribus Ecclesiasticis, qui sæculis septimo,
 & octavo præfulserunt, differentem perlubenti ani-
 mo auscultabo.

M. Agedum, incipiamus a Scriptoribus Ec-
 clesiasticis, qui septimum Ecclesiæ sæculum in O-
 rientem illustrarunt. In primis, septimo ineunte
 Ecclesiæ sæculo *Hesychius*, seu, ut alii dicunt,
Ischius, Patriarcha Hierosolymitanus scripsit in
Leviticum libros septem, qui latine prodierunt

Basilæ anno mdxvii. & Parisiis an. MDLXXXI.
 in quibus juxta vulgatam Scripturæ Sacræ Ver-
 sionem a Sancto Hieronymo concinnatam, *Hesychius*
 præclare referat Myſteria sub Cæremoni-
 arum Mosaicarum cortice latentia (a). Extant
 ejusdem *Hesychii* Sermones nonnulli, Homilia,
 variaque Opera Ascetica. Verum, cum plures
 extiterint *Hesychii* tum apud Græcos, tum apud
 Latinos, certo affirmare non ausim, omnia Ope-
 ra, quæ nunc sub *Hesychii* nomine circumferuntur,
 edita fuisse ab *Hesychio* Hierosolymorum
 Patriarcha. Legendus est super hac re *Labbeus*
 in Dissertatione de Scriptoribus Ecclesiasticis; ubi
 de pluribus *Hesychiis*, & de Operibus, quæ ipsis
 attribuntur, variorum sententias accurate recen-
 set. Circa initium ejusdem septimi Ecclesiæ sæ-
 culi claruit in Oriente *Eusebius* Episcopus Theſ-
 salonicensis, qui duo egregia Opera edidit, in
 quibus falsa dogmata Hæreticorum *Aphthodocera-*
rum, qui Corpus Christi semper fuisse incorruptibile
 dicitabant, funditus evertit, & Catholicam
 veritatem solide stabilivit. Extant excerpta, seu
 fragmenta utriusque Operis a laudato *Eusebio*
 editi, apud *Photium* in Biblioth. Codice cixii.
 Sub initium ejusdem septimi sæculi complures li-
 bros composuit *Joannes* a studiorum assiduitate di-
 ctus *Philoponus* Patria Alexandrinus, arte Gram-
 maticus peritus, qui tamen Scriptorum Ecclesia-
 sticorum Catalogo accenseri haud debet, quia,
 etsi magnam sibi comparaverit gloriam, dum ad-
 versus *Proclum Lycium* pro Christiana Religione
 scripsit, postea tamen suo plus æquo indulgens
 ingenio, multa impia dogmata propalavit. Nam
 primum cum Hæreticis Monothelitis unicam in
 Christo naturam admisit, & Concilium Chalce-
 donense rejectit. Deinde tres in Deo naturas,
 seu substantias esse docuit, unde *Tritheitarum* Sæ-
 cæ Auctor & Princeps dictus est, ut testatur
Leontius in Libro de Sæctis, Actione V. Insuper
 corporum resurrectionem negavit, aliosque errores
 temere in vulgus sparsit. Deperditæ sunt aliquot
Joannis Philoponi Opera, quorum fragmenta quæ-
 dam refert *Photius* in Bibliotheca Cod. XXI. LV.
 LXXV. CCXV. CCXL. Inter Opera vero ejus-
 dem *Joannis Philoponi* Philosophica, quæ etiam
 nunc extant Græco-Latine excusa, duo sunt opu-
 scula, quæ *Balthasar Corderius* anno mdcxxx.
 Viennæ Græco-Latine edidit, quorum primum
 est de *Creatione Mundi*, seu Commentarius est in
 Caput I. Geneseos. Alterum continet *Disputa-*
tionem de Paschate. Sed de *Joannis Philoponi*
 Operibus legendus est *Casimirus Oudinus*, qui illa
 accurate recenset in supplemento de Scriptoribus
 Ecclesiasticis a *Bellarmino* omisiss. (b) Satis
 hic observasse sufficiat, deliramenta *Joannis Phi-*
loponi fuisse confutata non solum a *Theodosio*
Monacho, in libro, qui temporum injuria periit,
 & cujus meminit *Photius* Codice XXII. & a *Ni-*
cia itidem Monacho in libris, quorum meminit
 idem *Photius* Codice L. sed etiam acriter oppu-
 gnata esse a duobus Scriptoribus, qui antea fue-
 rant ejus discipuli, videlicet *Conone* & *Engenio*
 in libris, qui amplius non extant. *Nicias* Mo-
 nachus, mox a me laudatus, præter Opera, quæ
 adver-

adversus *Joanem Philoponum* composuit, scri-
 ptionibus etiam Hæreticum *Severum* aggressus est,
 & Gentilium errores libris duobus impugnavit,
 ut videre est apud *Photium* Cod. L. *Themistius*
Severianorum, *Theopaschitarum*, & *Agnoetarum*
Sæctarius scripsit Orationem investivam contra
Joannis Philoponi errorem de resurrectione carnis;
 libellum etiam composuit Apologeticum pro sæ-
 cta *Agnoetarum*. Hunc librum Apologeticum a
Themistio scriptum confutavit *Theodorus* *Monachus*
Alexandrinus *Severianorum*, *Theopaschita-*
rum & *Theodosianorum* Hæresis defensor, cui
 ut vices rependeret *Themistius*, aliud peculiare
 opus in *Theodorum* publicavit, quod postea a
Theodoro tribus editis libris confutatum est. Ver-
 um, ejusmodi Opera, quorum meminit *Photius*
 Codice CVII. ad nos usque non pervenerunt.
Antiochus *Monachus* *Palæstinus* in celeberrimo *S.*
Sabæ Monasterio, *Laura* dicto, scripsit *Pande-*
cten *divine Scripture*, seu *Compendium totius*
Religionis Christianæ & sacrarum Scripturarum do-
ctrinæ, *Homiliis* CXXX. comprehensum. *Homili-*
as istas a se latine versas primus in lucem de-
 ditit *Godefridus Tilmannus* in Bibliotheca Patrum
 Parisiensis anno MDLXXV. Sed postea Græcum tex-
 tum una cum *Tilmanni* latina versione, dedit
Fronto Duceus anno mdcxxiv. Extat adhuc *Ho-*
milia, quam *Joannes* *Theſsalonicensis*, & *Grego-*
rius *Antiochenus* scripserunt in mulieres unguen-
 ta ferentes ad condiendum Corpus Christi *Domini*.
 Tres quoque *Homilias* de eodem argumen-
 to, seu in mulieres unguenta ferentes, & in oc-
 cursu *Domini* & *Simeonis* composuit *Modestus*
Patriarcha *Hierosolymitanus*, quarum fragmenta
 dat *Photius* Codice COLXXV. (c). Vitam *S.*
Joannis Chryſostomi scripsit *Georgius* *Patriarcha*
Alexandrinus & successor Sancti *Joannis Eleemo-*
synarii, cujus *Photius* excerpta quædam exhibet
 Codice XCVI. eaque Græce scripta habetur in
 Editione Græca Operum *S. Joannis Chryſostomi*,
 adornata ab *Henrico Savillio*. *Faſtos Siculos*, seu
Chronicon Alexandrinum huic *Georgio* *Patriar-*
chæ *Alexandrino* tribuit *Casimirus Oudinus* in
 supplemento de Scriptoribus Ecclesiasticis a *Bel-*
larmino omisiss, lis tamen adhuc sub judice est,
 & necdum constat, quisnam Auctor sit *Faſtorum*
Siculorum, seu *Chronici Alexandrini*. Hoc unum
 certum est, prædictum *Chronicon Alexandrinum*,
 quod ab orbe condito ad annum viceſimum Im-
 peratoris *Heraclii*, idest, usque ad annum dcccix.
 productum est, solum esse alicujus Scriptoris se-
 ptimi Ecclesiæ sæculi. Vocatur autem *Chronicon*
Alexandrinum, quia ejus præfatiuncula nomen
Petri *Patriarchæ* *Alexandrini* habet adscriptum.
Faſti *Consulares* ex eo *Chronico* de prompti nun-
 cupati sunt ab *Onuphrio Panvino*, *Faſti Siculi*,
 quia hoc *Chronicon* in Sicilia primum repertum
 fuit ab *Hieronymo Surita*, & opera *Antonii Au-*
gustini *Auditoris* *Rotæ* adveſtum Romam, deinde
 vulgatum a Patre *Radero* *Soc. Jesu* anno mdcxv.
 & a *Domino Du-Cange* denuo editum sub hoc
 titulo: *Chronicon Paſchate*. Continuum *Conſu-*
 lum seriem non modo exhibet *Chronicon* istud

Alexandrinum, sed & plura complectitur vene-
 randæ vetustatis monumenta, quo fit, ut apud
 Viros eruditos magnum obtineat auctoritatis
 pondus. *Joannes Moschus*, dictus *Eucrates*, &
 non, ut alii volunt, *Eviratus*, floruit septimo
 sæculo in Oriente, fuitque Auctor libri, qui in-
 scribitur: *Pratum spirituale*, quem nuncupavit
Sophronio *Hierosolymorum* Episcopo, qui ejus in
 vita Ascetica discipulus fuerat, individuum pære-
 grinationum Comes, ac rerum, quæ in eo narran-
 tur, plurimarum locupletissimus testis. Eo in li-
 bro *Joannes Moschus* simplici stylo describit vi-
 tam, jejunia, modestiam, paupertatem, obedi-
 entiam, gesta, apophthegmata, miracula insignia A-
 scetarum, seu Monachorum, quorum virtutes ac
 res præclare gestas partim a se visas, partim ab aliis
 auditu acceptas undique conquisiverat. *Georgius*
Pifides Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diaconus &
Carthophylax scripsit *Carmen Jambicum in Hexa-*
metron, & *Historiam rerum gestarum ab Imperatore*
Heraclio, aliaque complura Opera, quæ ad nos
 usque non pervenerunt. *Sophronius* *Hierosoly-*
morum Episcopus, & Fidei Catholicæ adversus
Monothelitas acerrimus defensor, aliquot oratio-
 nes, & *Vitam Sanctæ Mariæ Egyptiæ* *Pœni-*
tentis scripsit. *Sophronio* coævus fuit *Andreas*,
 cognominatus *Hierosolymitanus*, quod *Monasticam*
Vitam *Hierosolymis* coluerit, patria tamen fuit
Damascenus, & *Archiepiscopus* *Cretensis*, qui se-
 ptemdecim composuit *Homilias*, seu *Orationes*,
 præcipue in *Salutationem Angelicam*, in *Exal-*
tationem Sanctæ Crucis, in *Mariam Egypti-*
cam &c. quas cum aliis ejusdem Auctoris Opu-
 sculis in lucem eruit, & cum doctissimis
 Notis edi curavit doctissimus noster *Combes-*
sius.

„ (a) Quamquam *Hesychius* iste (quicumque
 „ tandem ille fuerit, sive *Patriarcha* *Hierosoly-*
 „ *mitanus*, sive tantum *Presbyter*, quo se titulo
 „ distinguit in Prologo ad *Commentarium* in *Le-*
 „ *viticum*) versionem *S. Hieronymi* in eodem
 „ *commentario* sequitur, persæpe tamen & in-
 „ *terpretatione* *Septuaginta*, *Theodotionis* ac
 „ *Symmachi* utitur, quos & nomine laudat.
 „ *Viderint* tamen docti, num operi isti, si *Græ-*
 „ *ci* auctoris esset (quem *Græce* scripsisse par-
 „ est credamus), usus versionis *Hieronimianæ*
 „ convenisse credendus sit. Ex qua conjectura
 „ ego auctorem hujus *commentarii* *Hesychium* al-
 „ terum quam *Hierosolymitanum* suspicor.

„ (b) *Joannes Philoponus* vulgo creditur Auctor
 „ hæresis *Tritheitarum*. Verum *Abulfaragius* in sua
 „ *historia*, cujus excerpta dedit *Assemanus* *Biblio-*
 „ *th. Orient.* Tom. I. pag. 328. testatur hæresis
 „ illius originem repetendam esse ex *Joanne* *Ascu-*
 „ *naghe* (utris fundum) ex quo *Joanem* *Gram-*
 „ *maticum*, idest *Philoponum* profecisse testatur.
 „ *Florebat* autem *Ascunaghes* eodem quo *Phi-*
 „ *loponus* tempore.

„ (c) *Encomium* *S. Modesti* *Archiepiscopi*
 „ *Hierosolymitani*, cujus excerptum dedit *Pho-*
 „ *tius*, modo integrum habemus Græce, & latine
 „ typis Romanis excusum anno 1760. Illius ob-
 „ tinen-